

mologiam nuperrime editam, quæ si Tibi arrideat, multum gaudebo. Insectis simul paucis, quæ nova puto, Tuum donatur museum, ut et avibus Feroensibus binis, Catharacta nempe sive Skua Høyeri et Puffino, Rev. Dno. Ström Liire vel Skraap dicto, quoad colores à Puffinis Brissonii diverso. Si hæc mea leviuscula accepta habeas, Vir Generose! magnum erit studiorum incitamentum

Generosi et Illustrissimi Nominis Tui

E domo Elersiana

Cultori devotissimo

d. 4. Maji 1764.

M. T. Brünnich

à Monsieur Mons^r Charles de Linné, Chevalier de l'ordre Nordstiernen, Médecin premier du Roi de Suède, Professeur de la Médecine et Botanique, Membre de l'Acad. d'Upsal, Stockholme etc. etc. à Upsale

Avec une casse marquée C. de L.

(40) Viro et Generoso et Perillustri
Equiti Carolo de Linné

M. Th. Brünnichius

S. P. D.

Entomologiam, tabulas insectorum systematicas sistentem, una cum ave Catharacta Skua et Puffino, nec non paucis mihi in duplo insectis ex Africa allatis, et quantum tunc temporis judicabam, nunquam descriptis per Generosissimum Comitem Adamum de Moltke iter navale ante binos menses ingredientem cum nave Regia, Petropolin, Rigam et denique Holmiam aditura, Tibi Vir Generose! obtuli. En aliud, Vir Generose! in historia naturali specimen, vena frigida, quippe media hyeme, in vasto avium museo elaboratum, quod si Tibi vel tantum ex parte arrideat, gaudebo, sin minus, ignoscas Vir Generose! me studium hoc propriis viribus et nullius consultis hactenus excoluisse. Ignotæ aves, quarum icones addere ob ingentes sumtus mihi haud fuit possibile, una cum aliis rarioribus a Per-illustri Professore D^{no} Pennant Esqr. sunt oblatae. Nuperrime e Groenlandia Trin-